



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 151. Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus populi
nihil respondit. v. 12.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Iudæorum eligentium me & volentium facere Regem, secuta inauguratione. Natura enim ex Iudæorum stirpe regia nempe David natus sum per matrem. Electione, etiam cum in deserto milia multa paucis panibus saturavi, cum tamen manus ipsorum effugi: Denique inauguratione cum me venientem Ierosolymam ante 5. dies exceperunt, uti filium David, Regem Israelis. acclamantes mihi Osanna, Benedictus &c. sed multo solidioribus adhuc argumentis & causis Rex sum. nam ira Rex sum Iudæorum, uti Deus universorum est Dominus, creatione, dominatu, ac gubernatione, paterna donatione, quem in finem etiam veni in mundum ex cælis, ut perditam Iudæam, totumque mundum à potestate diabolica, Tyranno invasore mundi liberarem & meam potestati iterum subjugarem, ergo Rex sum ego & Iudæorum & gentilium, & cæli & omnis terræ, bene ergo dixit Pilate pronuntiative. *Tu es Rex Iudæorum.* & hæc Christi responsio magis confirmat quod Pilatus non fuerit ignarus rerum Christi, & quod innoxie Rex esset, salvo jure Romanorum.

Agnosce ergo Pilate amplius mecum hunc Regem, ut tibi bene sit in regno ejus, regnum enim ejus omnis felicitatis est, & sempiternum, nec vinci potest ab ullo hoste, aut debellari.

Adoro te, Rex meus & Deus meus, tu enim aliter multo Rex es, quam alii Reges & Principes mundi hujus, illi exigunt à subditis utilia sibi, tu quaeris utilia subditis tuis. Tuæ ergo dispositioni me & omnia committo, ut mihi bene sit in ejus regno in æternum. Venite omnes gentes & jubilate huic Regi vestro, adoremus eoram eo, salutari nostro.

§. 151. Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum & senioribus populi nihil respondit. v. 12.

Stabat aut sedebat Pilatus in sua Præsidis majestate ut iudex, hinc atque inde latera illius stipabant Lictores Romani & apparitores, Pilati sententiam expectantes, parati obsequi ad nutum Præsidis sive ad vivificandum seu interficiendum. Ante Prætorium stabat impia crudelium Iudæorum turba instar leonum rugiens & horridos edens clamores, accusando in variis Jesum Christum. Intet hæc omnia agnus mansuetissimus, os suum benedictum ad sese purgandum & excusandum non aperuit, utpote paratus mori pro salute miserorum.

Anima mea vide & adverte quid hic geratur: cape exemplum, ut discas, quando accusaris, vituperaris molestaris, etiam iniuste, tunc non continuo esse elamari dum male dicentem adversaris &c. sed primo in silentio Deo cor nostrum apertendum, lubenter hæc iniurias ferendo, tantisper propter

M j;

peccata

peccata nostra olim admissa vel etiam recens commissa, ut sic prudenter displiciamus, quomodo nos defendamus, nam impetus semper malus est consiliarius, disputando quidem poterat Christus arguere eos & mendacij convincere, sed maluit tacendo pati & parcere honori inimicorum & in se potius suscipere confusionem, quam aliis inferre ne inde gravius incendi-um excitaret, atque ita peccata, ex quibus Deus magis offensus fuisset evita-ret. O si sic in omni actione & operibus caveremus ne essemus causa peccati, sed virtutis & cum aliquam rem penitus corrigere non possumus, saltem non vitia remus.

Hanc doce me, obsecro Domine Deus meus sapientiam, ut sciam pati prudenter omnia ad tui gloriam meamque salutem, donec tempus iustæ & prudentis defensionis adveniat & illucescat.

§. 152. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? v. 13.

Cum immites & impii Iudæi terribilibus in Christum oculis torvo-que aspectu intenderent, stidentes dentibus suis, & eum continuo accu-santes apud Pilatum præsidem implicite conclamarent sententiam mor-tis: & ipse amabilis ac pius Dominus staret illic humili verecundia, depres-sis oculis, vinctis manibus, paratus ut agnus paschalis ad immolationem & calicem patris sui super se effundendum; Pilatus tanta humilitate & pacien-tia vel ad benignitatem vel ad indignationem motus Christum alloquitur dicens: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? quibus verbis vel inve-hitur Pilatus in Christum, quod ita taceat & nil respondeat, vel gravius au-dire suspicatur, vel frivola testimonia Iudæorum iridet, & ex amore iusti-tiæ ut audita altera parte Christi defensione & publice contestata veritate rei, posset satisfacere formæ iudicii, scilicet accusatione simul & defensione auditis, sententiam ferre, quam silentio partis accusatæ stante non posset pro Christo dare etsi sciret quod ex invidia tradidissent eum, & testimonia eorum non essent convenientia, ideoque urgebat Christum ut se quovis modo defenderet, vel sola inficiatione, ut per eam inveniret occasionem dimittendi eum: sed qui reliquerat omnem felicitatem cæli & venerat in hanc vallem miseriarum pati omnem dolorem, etiam ignominiosissi-mam mortem crucis, noluit respondere, ne ex passionibus Iudæorum daret occasionem plura accumulandi mendacia, sed permittit ut eas servent illæ-fas, & sub eis ipse operetur mundi redemptionem.

O Amor erga genus humanum, quis poterit te digne comprehendere, aut in minimo respondere tibi! Certe mirabilis es Domine in omni-bus